Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2415
Quelle:
Copyright:

Secundus Tractatus *fol.* 83. continet *Revelationes S. Trudae* sive *Gertrudis*, quae Sorori *Mechtildi* usque ad an. 1290. supervixit, in Libros. V. divisas. Germanice eas a *Gertrude* scriptas, et a *J. Justo Landsbergio* Carth. latine redditas vult *Fabricius*, sed jam Sec. XV. latinas fuisse vides. Nobis ex Prologo *fol. cit.* inscribuntur: *Memoriale habundancie diuine suauitatis*, et *Legatus diuine pietatis*; in impressis vero, quae *Oudinus*, *Fabricius*, alii adferunt, *Insinuationes divinae pietatis* adpellantur.

Tertius Tractatus *fol.* 284. continet *Gebenonis Prioris in Ebirbach* O. S. B. circa an. 1220. *Epitomen Vaticiniorum Hildegardis* fundatricis et magistrae monasterii *sancti rupperti apud pingwiam* (Bingen) ✠ 1178. Praeit *Gebenonis* epistola *magistro reinmudo* (sic) *scolastico et magistro reinhero canonicis sancti Stephani in maguntia*, in qua Excerpta haec sua *speculum futurorum temporum siue pentacronon* (non *pentachordum*, ut est apud Fabric.) *sancte Hildegardis* vocari posse ait. In *Prologo* sequenti scopum scriptionis suae aperit, eversionem videlicet fabularum de *Antichristo*, quem eo tempore quidam propediem nascituram, alii jam natum adfirmabant; designat vero tempus suum his verbis: *Sciendum autem est, quod in hoc presenti anno qui est M°. CC°. XX°. ab incarnatione domini de tempore primo euoluti sunt anni centum viginti.* Succedunt dein Vaticinia, quibus immorari non lubet, quaeque, ut opinor, lucem primum videre barbaro vocabulo *Scivias* inscripta in *Collect.* supracit. apud *H. Stephanum.* Teste *Bern. Pezio* in *Thes. Anecd.* T. III. P. 3. *col.* 629. msptum habetur Opusculum istud in Coenobio *Benedictoburano.* An vero Codici illi, velut nostro, adhaereant *Epistolae* aliquae ad *Hildegardem* cum ejus responsis, item ea, quae in *S. Benedicti Regulam* scripsit, vir doctus non expressit. Edita sunt tamen utraque in *Opp. Hildegardis Colon.* 1566. 4. posteriora etiam in *Bibl. PP. Lugd.* T. XXIII. p. 590. recepta. Adi et *Codd.* proxime praecedentes.

Quartus Tractatus *fol.* 348. hanc rubricam praefert: *Incipit Tractatus quidam de thurcis prout ad presens ecclesia sancta ab eis affligitur collectus diligenti discussione scripturarum a quibusdam fratribus predicatorum ordinis in capitulo generali rome celebrato anno* 1474. &c. Descripsit hunc Tractatum Coenobita noster *supracit.* ut in calce adnotavit, *anno* M°. CCCC. LXXXII. adeoque uno anno tardius, quam *Norimbergae* per *Conr. Zeninger* in 4. typis excuderetur, quam editionem principem habeo. Adspersae sunt in *Cod.* nostro notulae quaedam historicae alia manu, sed exigui momenti; ipse vero *Stainbrunnerus* brevem subjunxit Commentarium anno, ut ait, 1483. finitum, excerptumque potissimum ex Revelationibus *Birgittae*